

Aufbau der römischen Legion:

P. Flavius Vegetius Renatus, *Epitoma rei militaris* II, 6

Sciendum autem est in una legione decem cohortes¹ esse debere. Sed prima cohors reliquas et numero militum et dignitate praecedit. Nam genere atque institutione litterarum viros electissimos quaerit. Haec enim suscipit² aquilam³, quod praecipuum signum in Romano est semper exercitu et totius legionis insigne⁴; haec imagines imperatorum, hoc est⁵ divina et praesentia signa, veneratur; habet⁶ pedites mille centum quinque, equites loricatos⁷ CXXXII, et appellatur cohors miliaria⁸; haec est caput legionis, ab hac, cum pugnandum est, prima acies⁹ incipit ordinari¹⁰.

Secunda cohors habet pedites DLV, equites LXVI, et appellatur cohors quingenaria¹¹. Tertia cohors similiter habet pedites DLV, equites LXVI, sed in hac cohorte tertia validiores probari¹² moris est¹³, quia in media acie¹⁴ consistit¹⁵. Cohors quarta habet pedites DLV, equites LXVI. Cohors quinta habet pedites DLV, equites LXVI; sed et quinta cohors strenuos desideret milites, quia, sicut prima (cohors) in dextro (cornu), ita quinta (cohors) in sinistro ponitur¹⁶ cornu¹⁷. Hae quinque cohortes in prima acie ordinantur.

Sexta cohors habet pedites DLV, equites LXVI; in ipsa quoque enucleati¹⁸ adscribendi sunt iuniores, quia in secunda acie post aquilam et imagines cohors sexta consistit. Cohors VII. habet pedites DLV, equites LXVI. Cohors VIII. habet pedites DLV, equites LXVI; sed et ipsa animosos¹⁹ desiderat viros, quia in secunda acie consistit in medio²⁰. Cohors nona habet pedites DLV, equites LXVI. Cohors X. habet pedites DLV, equites LXVI; et ipsa bonos consuevit accipere bellatores²¹, quia in secunda acie sinistrum possidet cornum.

His decem cohortibus legio plena fundatur, quae habet pedites sex milia centum, equites DCCXXX. Minor itaque numerus armatorum in una legione esse non debet; maior autem interdum esse consuevit, si non tantum unam cohortem sed etiam alias miliarias copias fuerit²² iussa suscipere.

1. **cohors**, cohortis f.: Kohorte
2. **suscipere** M: annehmen, übernehmen
3. **aquila**, -ae f.: Legionsadler
4. Konstruktionshilfe: quod semper praecipuum signum in Romano exercitu et insigne totius legionis (est)
5. **hoc est**: das heißt
6. **habet**: Subj. ist die prima cohors
7. **eques**, -itis **loricatus** 3 m.: Panzerreiter
8. **cohors miliaria**: Kohorte der 1000
9. **acies**, -ei f.: Schlachtreihe
10. **ordinare** 1: aufstellen
11. **cohors quingenaria**: Kohorte der 500
12. **probare** 1: anerkennen, genehmigen
13. **moris est**: es ist üblich
14. **in media acie**: in der Mitte der Schlachtreihe
15. **consistere** 3: sich aufstellen
16. **ponere** 3: *hier* einsetzen
17. **cornu**, -us n.: (Heeres-)Flügel
18. **enucleatus** 3: beherzt
19. **animosus** 3: mutig
20. **in medio**: in der Mitte
21. **bellator**, -oris m.: Krieger,
22. **fuerit** (+ Acl): es könnte so sein